

Paulus Henningius Christianus Wilhelmus König

## **Disputatio Philosophica De Dubitatione Cartesiana & Formis Substantialibus Brutorum**

Rostochi[i]: Richelius, 1676

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730607747>

Druck Freier  Zugang



Ru phil 1676



Q. D. B. V.  
DISPUTATIO PHILOSOPHICA  
De  
DUBITATIONE  
CARTESIANA  
&  
FORMIS SUBSTANTIALI-  
BUS  
BRUTORUM

*Quam*  
Consentiente Amplissima Facultate  
Philosophica  
SUB PRÆSIDIO  
VIRI CLARISSIMI ET DOCTISSIMI  
DN. PAULI HENNINGII,  
PHILOS. MAGISTRI.

Longè dignissimi  
Præceptoris sui plurimùm colendi  
publico Eruditorum Examine

*isset*  
CHRISTIANUS WILHELMUS König /

Rost. Megapolit.  
AUTOR ET RESPONDENS.

In Auditorio Majori,

Ad d. 27 *Maj* Anno 1676.

☉( : 0 : )☉

Rostochl Typis Jacobi Richelii, Sen. Typ.

INCLYTE REIPUBLICÆ ROSTOCHIANÆ  
COSS. SYNDICO ET SENATORIBUS  
VIRIS


MAGNIFICIS, NOBILISSIMIS, CONSULTISSIMIS  
AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS, SPECTATISSIMIS

DN. MATTHÆO Liebbeer/ JCTO. }  
DN. DANIELI Fischer/ J. U. D. } COSS.  
DN. PETRO Eggerdes/ JCTO. }  
DN. JOHANNI Wilbrand/  
DN. DAVIDI Brandes/  
DN. STEPHANO Schulz/  
DN. HENRICO Kiedemann/  
DN. CHRISTIANO Knesebeck/  
DN. JOACHIMO Farmer/  
DN. JOHANNI Danckwerts/  
DN. JACOBO Schlorff/  
DN. VALENTINO Beselin/  
DN. DIETERICO Wolffrath/  
DN. JOHANNI Nettelbladt/  
DN. ERNESTO Sultmann/  
DN. DETLEVO Marckmann/ J. U. D.  
DN. MATTHIÆ Priestaff/  
DN. EVERTO von Bergen/

Dominis Patronis atq; Promotoribus suis debira animi submissi-  
one devenerandis, Disputationem hanc cum voto omnigena pro-  
speritatis & salutis.

*Humillimè*

D. D. D. A. & R.



Q. D. F. F. E. J.  
PROOEMIUM.

**Q**uotiescunq; verba facturus in concionem prodiret Pericles, optabat: ut sibi nullū ejusmodi verbum excideret, quod populū exasperare atq; irritare posset: aut quod illi contrarium esset, & cum ipsius voluntate pugnare videretur. *Ælian. h 4. l. 10.* Utinā & ego hoc tempore, quo *Disputationem* hanc in lucem edo, præstare possem. Cum enim videam, quod eousq; tandem pervenerit, ut è mundo veritas sublata planè videatur, hujusq; studiosi contemptui & odio habeantur, non possum non, quin accuratius in hujusmodi censores aliquid scribam, de quo neque quomodo scribam, neque quomodo taceam reperire possum. Si enim taceo, palmam nos perdidisse existimant, sin minus arrogantia & superbia nos accusant. Accipiant autem quomodocunq; velint, nobis magis amica est veritas. Placuit ea de causa in laudem SCHOLASTICO ARISTOTELICORUM, pauca in medium proferre, si qua quæ auribus vestris gravissima videantur prolaturus sim, peto nihilominus ut benevolentia vestrae aura quasi quædam mihi faveatis. *Farnabius ind. Rhet. p. 108.* Qualia & quantum us ind. Venator Philosophiaë maximus, Atlas ille Philosophiaë, Philosophorum oculus, Peripateticorum Princeps, Humanae sapientiaë Promi condus ARISTOTELES, quis ignorat? nec tamen desunt, qui quibuscunq; modis possunt illum exagitant, contemnunt & condemnant, melius quid polliceri sibi haud possunt sectatores illius, SCHOLASTICOS dico: quam injuriosè torquentur, quibus ignominiosis afficiuntur verbis, unicum in medium proferamus Cartesium, qui, ac si nunquam veritatis studiosi fuissent, illos accusat, sic enim p. 42. l. 29. 30. 31. de Methodo. Nunquam observavi, veritatem aliquam antea ignotam DISPUTATIONUM SCHOLASTICARUM OPE in lucem protractam fuisse.

fuisse. Durum sanè effatum. Videat autem Cartesius quomodo hoc probet. Non enim sufficit dixisse, sed probasse, multa dicuntur multa quoque mentiuntur, ut habet veri verbum. Cartesius unus instar omnium est, qui tot unus virtutibus abundat, ut unus omnium laudes, exhauriat, non satis edoctus est, aureum illud Solonis *γνώσις ἀδὸν πῶν*. Audiatur autem antiquitas, & quod alteri nos suspecti non possumus, illud omnium seculorum veneranda canities decidat arbitrio. Quocumque me oculis convertero & cogitatione mea, sive iudicium vetustatis, sive lumen rationis, sive honestatis decus considerè, nostræ sententiæ suffragantur omnes. Procedat Thomas ille Aquinas Doctor Angelicus (uti communiter vocatur.) Prodeat Doctor Subtilis, Scotus. Accedat Doctor irrefragibilis, Alensis, Doctor ille Seraphicus, Bonaventura, ex nostris, Musæus, Zeisoldus, Scheiblerus, Schertzerus. Quanti & quales sunt Scholastici. Accedit B. noster Henric. Mullerus qui & ipse Theologiam conscripsit Scholasticam & quam plurimi, quid unquam aliud, quam unicam sectarunt veritatem? qui non credit, & qui dubitat adeat scripta illorum, & ut se res habet, videbit. Quid nunc valet tua assertio? non satis est, quis dixerit, sed quid dixerit, ut ait Philosoph. 1. 8. Metaph. c. ult. Age & tua considerabimus, utrum ad eam veritatis studiosus fueris. Sed ne longiores sumus quam necesse est, ad rem ipsam. Sit itaque; ]

## DUBIUM I.

Utrum de existentia rerum sensibilium licitè quis dubitare possit?

S. I.

**R**espondetur cum omnibus Scholasticis & Philosophis aliis *Negative*. Licet hi aliis Scholasticorum sententiis frequenter subscribere recusent, in presenti tamen dubio omnes unanimiter conspirant. Et quæ; *Aristotelis*. 2. de Anim. 6. text. 63. ubi expressè docet, sensum circa proprium objectum non decipi. *Scoti in 1. Sentent. d. 3. q. 4. Thomas &c.* Probatur (a) Potentia necessaria

aria positis omnibus requisitis ad agendum non potest non agere Ergo quoque non potest decipi & falli. Antecedens est omnium Philosopherum, vel ostendat adversarius, qualis sit differentia inter potentiam liberam & necessariam, si non est in antecedente assignata. Consequentia constat, quia potentia necessaria est determinata ad suum objectum, objectum etiam est proportionatum potentiae. Ergo impossibile est potentiam sensitivam posse decipi & falli in operatione sensitiva.

§. 2. Sed ut accuratius percipiatur, vis & efficacia hujus argumenti, probe notandum, quod sit distinguendum inter sensus debite applicatos, & indebite applicatos, ut sensus debite applicentur & ex consequenti non fallantur, requiruntur, ut docent omnes Physici tres conditiones, quarum prima est, ut potentia sensitiva & organon, per quod potentia operatur. v. g. oculus, sit optime dispositus, secus, sensus facile possunt decipi. Sic oculi lippi non possunt inspicere objectum tam accurate, quam oculi clari. Altera conditio ad debitam sensus applicationem concurrens, habet sese ex parte objecti, & requiritur ut objectum sit adaequatum potentiae, sonus enim non potest videri ab oculo, deinde ut objectum sit in justa distantia, pulsus enim campanarum Romae, a nobis Rostochii existentibus non potest auribus percipi, nec homines in foro Lipsiensi obambulantes a nobis possunt videri, requiritur ergo debita objecti distantia. Ultimum requisitum spectans ad medium, quod etiam necessario concurrat, praeter objectum enim & organon illud exigitur etiam, ut sit clarum, sic sub crepusculo sensus facile possunt falli ob deficientis medium interveniens.

§. 3. Quo praemisso, a quibuslibet cognosci potest, quando sensus possint decipi & non decipi, falli & non falli. Tunc nimirum sensus falli non posse, quando conditiones supra assignatae, adsunt, tunc autem, illos falli posse, quando una vel altera desit conditio. Confirmatur sententia nostra adhuc, ab ipsa rerum magistra, experientia, quia impossibile, manum applicantem ad ignem, tamen dubitare posse de calore ignis. Hinc optimo concludit jure Aristoteles, si quis vellet negare ea, quae sensibus patent, ejusmodi igni exponendum esse, ut certus fiat, ignem esse calidum. Addo ego ne in posterum dubitare possit.

A 3

§. 4



Renatus  
des Car-  
tes p. I.  
princip.  
Philo-  
soph.

§. 4. Adversarium hujus theses habemus, Renatum des Cartes, dubitationem pro principio Philosophiæ habentem. Quoniam autem ambiguus & obscuris loquendi formulis in plurimum usus est, non abs re erit, verba ipsius ut ascribamus, sic enim ille. *Nunc itaq; cum tantū veritati quærenda incumbamus, dubitabimus imprimis, an ulla res sensibiles aut imaginabiles existant. Primum quia deprehendimus interdum sensus errare, ac Prudentia est nunquam fidere iis, qui nos vel semel deceperunt: Deinde, quia quotidie in somniis videmur sentire aut imaginari, quæ nunquam sunt, nullaq; sic dubitanti signa apparent, quibus somnum à vigilia certò dignoscatur.*

§. 5. In his verbis expressè docet Cartesius, de existentia rerum sensibilibum esse dubitandum, dicit enim. *Dubitabimus imprimis an ulla res sensibiles aut imaginabiles existant.* Quo nihil clarius. Impingit autem hic Renatus, quod existentiam rerum sensibilibum & imaginabilium componat, longè enim alia existentia gaudent res sensibiles quam imaginabiles, hæ objectivè saltem illæ Physicè existunt, de diversis autem diversum est ferendum iudicium, sed quicquid sit, parum inter est, num in verbis componantur, dummodò in mente disjungantur.

§. 6. Probat autem Renatus implicitè suam opinionem duobus argumentis, quorum alterum, si ad lucem protrahatur (formaliter enim argumentari non didicit Cartesius) ad ejusmodi potest redigi formam. Si sensus interdum errant, sequitur quod sit dubitandum, an sint ullæ res sensibiles. Atqui sensus interdum errant. E. Sequitur &c. Antecedens supponit Cartesius ut certum & absolutè verum. Sequelam igitur probat hoc Profyllogismo. Prudentis est nunquam nimis fidere iis, qui nos vel semel deceperunt. Atqui sensus nos non tantum semel sed multis deceperunt vicibus: E.

§. 7. Ad hoc argumentum, quod fortè Renatus insolubile reputat, facili respondeo negotio, & quidem (1) distinguendo Antecedens. *Si sensus interdum errant sequitur quod sit dubitandum, distinguo si interdum errant, si debitè sint applicati, & adsint omnes conditiones requisitæ. C. antecedens, si in debitè sint applicati & deficiat aliqua conditio N. antecedens, & eodem modo distincta minore N. conseq.* Itaq; dico quæstionem non procedere, de

re, de sensibus indebitè applicatis, vel etiam quando deest requisitum quoddam quod ad opus sensationis perfectæ, exigitur, tunc enim sensus decipi posse, imò frequenter actu falli ambabus concedimus manibus, debuisset ergo Cartesius statim controversiæ ritè formare, & erudito seculo quæstionem obscuram non proponere.

§ 8. Sed in gratiam Cartesii dices Cartesium non habuisse opus, hanc adhibere distinctionem, eo quod putat sensus falli & decipi etiam positis omnibus requisitis, E. Cartesius nec debuit nec potuit statim controversiæ meliori proponere modo. R. Cartesium aut velle sensus semper decipi, aut aliquando tantum, si aliquando tantum tunc nobis non contradicit, quia & nos concedimus, tunc nimirum sensus falli posse, & non adsint omnes ad sensationem requisitæ conditiones. Aut velle sensus semper falli, sed hoc non quia dicit deprehendimus *interdum* sensus errare. Ergo debuisset Cartesius distinctionem adhibere, ac proinde non formavit statim controversiæ ut decet sincerum Philosophum.

§. 9. Respondeo (2) ad argumentum Cartesii. N. Consequens est, quia ut docetur in cursu Logico, consequens debet virtualiter contineri in præmissis & Thomas docet, quod Conclusio contineatur in præmissis, sicut fructus in semine. Hinc Jesuitæ in artificio disputandi regulam tradunt, quæ plurima solvi possunt argumenta, tunc scilicet Consequentiam esse optimam, quando minor propositio est causa conclusionis, vel antecedens est causa consequentis. Videamus modo utrum hac propositio *sensus interdum fallunt* sit causa hujus *Dubitandum est an ulla res sensibiles existant*, mihi videtur quod non, ratio in promptu est, quia inter meam cognitionem sensitivam & existentiam rei nulla est connexio necessaria, mea enim cognitio alicujus objecti est intentionalis, accidentalis & externa, existentia autem objecti est Physica, necessaria & intrinseca.

§. 10. Deinde sciendum quod *ly sensibiles* duplici modo possit intelligi, subjective & objective. Si Cartesius *ly sensibiles* subjective accipit, tunc sensus est, *dubitandum est an ulla res sensibiles existant*, id est utrum res sensibiles in se habeant sensus, & hoc pacto consequentia nedum non vera est, sed insuper stultissima, quia multa quæ

ta quæ sensibus prædita sunt, nõ cognoscuntur in actu secundo, si  
vero Ly sensibiles accipit objective, tunc sensus est. *Dubitandum*  
*est an ulla res sensibiles existant*, id est tales res, quæ à sensibus perci-  
piuntur & percipi possunt, & si Cartesius hoc pacto Ly sensibiles  
intelligit, refutatione dignus non est, ex hoc fundamento, quia  
Objecta sensibilia habent sufficientem aptitudinem ad hoc, ut  
possint cognosci. Sunt enim materialia & proportionata in or-  
dine ad intellectum: Intellectus enim non obstante quod sit po-  
tentia Spiritualis, nihil tamen secius est in materiam ut loquitur  
THOMAS quasi (puta in statu informationis non separationis)  
immerfus, ratio à priori est, quia non potest intelligere nisi per  
conversionem ad phantasmata. Phantasmata autem formantur  
à speciebus sensibilibus, hæ autem desumuntur ab objecto mate-  
riali.

§ II. Alterum quod concernit Argumentũ, quo suam Antithe-  
sin propugnare, nostram verò impugnare Thesis nititur, ad hanc  
potest reduci formam. In somniis videmur innumera sentire,  
quæ tamen non existunt, E. quoquè de iis quæ vigilando sentimus  
possumus dubitare utrum existant. Conseq. probat, quia dubi-  
tanti, an existant res sensibiles nullum apparet signum, quo so-  
mnum à vigilia certò dignoscat. R. 1. Distinguendo antece-  
dens Enthymematis; in somniis innumera videmur sentire, quæ  
tamen non existunt, *existentiæ reali & Physicæ* C: existentia objecti-  
va à phantasia accepta N. dico itaq; cum Aristotele, in somniis  
phantasiam præsentare varias figuras, quæ etiam existentia qua-  
dam fruuntur, sicut gaudent essentia, & si dormiens reflectere se-  
se posset, non posset dubitare, an phantasmata existant in phan-  
tasia, quia impossibile sentire & percipere ejusmodi res, & tamen  
dubitare utrum existant, vel existere possint. R. 2. Distinguen-  
do alio modo hanc propositionem: in somniis multa sentimus  
intentionaliter & in quantum à Phantasia nobis repræsentantur  
C. Physicè & per modum operationis egredientis. N. R. 3 *Ab-*  
*solutè Negando Consequentiam*, ratio est evidens, quia à sensu im-  
pedito ad expeditum N. V. C. In somniis enim sensus est impedi-  
tus, ut in aprico est, in vigiliâ autem sensus est expeditus, ita ut  
possit, quando placuerit in exercitium excurrere. Nec subjecta  
proba-

probatio aliquid obtinet, quia negamus de re existente posse aliquem dubitare, ut in præcedentibus dictum.

§. 12. Posset Adversarius instare, Cartesium velle solum vigilantem posse dubitare de existentia rerum sensibilium, casu se se reflecteret in somnis ipsum multa sentire, quæ tamen omni destituuntur existentia. Sed Responsio in præcedentibus fuit sufficienter assignata, & adhuc eam repeto, quod scilicet dubitatio hic nullum possit habere locum, ideo quia existentia actualis, necessario infert possibilem; hæc enim Consequentia ab omnibus Logicis admittitur, Existo E. possum existere, ab Actu enim ad Potentiã V. C. libenter igitur viderem fundamentum hujus dubitationis.

§. 13. Sed pergas cum Cartesio loco citat. Licet hæc sententia videatur stabilita in principiis quæ communiter circumferuntur à Metaphysicis & Logicis, hoc tamen parùm probare, quia potest etiam de veritate talium principiorum dubitari *imò dubitabimus* (inquit Cartesius) *de iis principiis quæ hætenus putavimus esse per se nota.* Sed quam obrem? *tum quia vidimus aliquando nonnullos errasse in talibus, & quædam pro certissimis ac per se notis admisisse, quæ nobis falsa videbantur, tum maximè quia audivimus, esse DEUM, qui potest omnia & à quo sumus creati. Ignoramus enim An forte nos tales creare voluerit, ut semper fallamur, etiam in iis quæ nobis quam notissima apparent, quia non minus hoc fieri videtur potuisse (ò spissa lingua) quam ut interdum fallamur, quod contingere ante advertimus.*

§. 13. Adfert iterum Cartesius duas rationes ad probandum, quod de primis principiis sit dubitandum. Primum argumentum est hoc. Nonnulli errarunt in primis principiis, E. nos debemus dubitare de primis principiis. R. ad Argumentum (a) per instantiã. Nonnulli errarunt in primis & fundamentalibus fidei Articulis, E & nos debemus dubitare de Articulis fundamenta- libus. Neq; obstat, disparem esse rationem, quia fides & Articuli fidei revelationi subjecti spectant ad ordinem supernaturalem, non verò ad naturalem, ad quem pertinent principia Philophica. Non dicas, hoc inquam, quia sicut se habent principia prima in naturalibus, ut enim principia naturalia sunt prima & fundamenta aliorum, ita Articuli fidei, sunt fundamenta reliquorum omnium quæ in ordine, supernaturali continentur.

B

§. 14. R. (β)

§. 14. (β) & quidem in Forma. Nonnulli errarunt in primis principiis, quantum ad eorum applicationem C. quantum ad eorum significationem N. quæ distinctio est clara & nulla indiget expositione. Et licet Judæi errent circa hoc principium, *Impossibile est idem simul esse & non esse*, docentes, etiamsi duo Rabbinii contradictorias affirmarent propositiones, adhuc uterq; à DEO dirigeretur. Respondetur enim præterquam quod Judæi sint excecati quantum ad intellectum & obcecati quantum ad voluntatem, plurimos Judæorum statueret contrarium.

§. 15. Alterum argumentum Cartesii, allatum prorsus impium videtur, hoc modo sese habens: *Ignoramus an fortè DEUS tales nos creare voluerit ut semper fallamur. etiam in iis quæ nobis quam notissima apparent*, E. Dubitandum nobis est de primis principiis. Ad hoc Christianum minimè decens Enthymema R. Neg. Antecedens, ut pote pugnans cum fide, dicitur enim Gen. I. *Vidit DEUS cuncta quæ fecerat & ecce valdè erant bona*. Jam Cartesius non dubitat, sed planè ignorat, annon fortè voluerit DEUS ipsum producere ita, ut semper fallatur. Et fortè Cartesius semper fallitur, quia ignorat annon sit productus ad hoc, ut semper fallatur. Dices: ex scriptura quidem scio DEUM omnia creasse bona, sed ex lumine naturæ hoc nequaquam discere possum: Contra. Falsa hæc est assertio, Apostolus enim in Epist. ad Rom. dicit, quod DEUS sit, revelatum eis & iterum impressum est eis. Quid enim creaturæ sunt nisi effectus & signa Omnipotentiae DEI, Cœli enarrant gloriam DEI, inquit David. Ps. XIX. | v. i. vid. quoq; Doctor noster Angelicus Thomas part. I. ubi quinque rationibus existentiam supremi ostendit Numinis. | Scholastici igitur rectius senserunt de DEO quam Cartesius.

§. 16. Tandem excusabis Cartesium, hanc formulam *Dubitandum est*, à nobis non intelligi. Cartesium enim longè alio eam intellexisse modo, hoc scilicet *dubitandum est* id est, à dubitatione recedendū est, Resp. Cartesiu nunc agere novū Scotum, qui ut loquitur Arriaga, maluit ambulare in tenebris, quā in luce & impingere in Grāmaticam, imò contra Donatū loqui. In Donato enim significatio gerūdii ita est expressa, *amandū Man soll oder muß lieben/* Cartesius verò ita exponit, *dubitandum*. Id est, **Man**

Man soll oder muß vom Zweifel ablassen. Scio quidem Philosophis licitum esse, etiam vocabula nova fingere, ad animi sensa declaranda, (quod & ipse Cartesius præstitit,) nunquam tamen legi, Philosophum vocibus posse contrariam vel contradictoriam assignere significationem.

§. 17. Reperiuntur adhuc nonnulli, pro opinionibus Renati tanquam pro aris & focis pugnantes: qui contendunt Cartesium ex mente Scepticorum fuisse locutum, minimè verò ex propria sententia. Sed quis non videt hanc interpretationem esse violentam & voluntariam. Audiamus Cartesium: *dubitabimus* (inquit) *an ulla res sensibiles aut imaginabiles existant* subjungit etiam duo argumenta affirmativam probantia, & tamen sensus hujus dicti, fingitur talis: Sceptici dubitant an ullæ res sensibiles existant, quis unquam audivit, has Phrases esse Synonymicas, *dubitamus & Sceptici dubitant*: per quam regulam? subnectendo autem rationem ait Cartesius: quia *deprehendimus interdum sensus errare*. Horum verborum sensus est: *Sceptici deprehendunt interdum sensus errare*, quam violenta sit hæc expositio, quilibet percipere potest.

§. 18. Alii (mendacium enim variis exornandum est coloribus) prædictam formulam, ita exponunt: *Dubitandum est an ulla res sensibiles existant* id est: Dubitandum utrum res sensibiles non potuerint existere alio, quam existunt modo. Ex iis, Phrasin Cartesii hoc pacto exponentibus, quæro; utrum fuerit hæc expositio menti Cartesii consona, ex verbis enim Cartesii nullus Philosophorum hunc sensum potest colligere, aliud enim est dubitare de existentia, aliud dubitare de modo existendi. Alias responsiones confictui publico reservamus.

§. 19. Et ut tandem concludamus, posito sed non concessio, quantumvis hoc admitti posset, adhuc Cartesius errat sibi; contradicit, quia hæc agit de principiis Philosophiæ, dubitatio autem tenet sese ex parte discantis, non ex parte ipsius studii Philosophici: habet quidè vulgare illud: *qui incipit dubitare, incipit discere* sed proverbium hoc de studio Philosophiæ, non de ipsa Philosophia est intelligendum, accedit, quod dubitatio etiam proprie loquendo, non sit principium sed saltem signum alicujus pro-

fectus in studiis. Vel si est principium Philosophiæ, dicat Cartesius, utrum sit principium essendi, vel cognoscendi, & tunc respondemus, Sed hæc de hac sufficiant materia: Sequitur

## DUBIUM II.

### Utrum dentur in brutis formæ substantiales.

§. 1. Quamplurimæ moventur quæstiones de formis substantialibus e. g. de educatione illarum ex potentia materiæ, operationibus, multitudine &c. Nobis placet in præsens unicum & quidem de existentia illarum, quæstionem examinare, abstrahendo scilicet, à forma substantiali hominis, hanc enim esse verè substantialem admittit Renatus, non ex naturæ lumine sed à fide coactus. Quæritur E. Utrum formæ in brutis sint substantiales, id est substantiæ quædam incompletæ & à materia distinctæ.

§. 2. Ad hanc quæstionem Respondent. Omnes Aristotelici, Scholastici, Sperlingiani, & communiter omnes Doctores in Academiis Wittebergenfi, Lipsiensi, Jenensi &c. Florentissimis affirmativè. Solus Cartesius à dubitatione convictus negat. Omissis autem luculentis existentiam formarum substantialium confirmantibus testimoniis, argumentis à ratione petitis conclusionem affirmativam probatam damus.

§. 3. Sit *primum* à *posteriori* desumptum. Si non daretur forma substantialis distincta à materia sequeretur, materialia omnia composita, esse ejusdem speciei, sed hoc est absurdum. E. & illud ex hoc sequitur. Sequela probatur per materiam non potest distingui specificè res à re, ratio à priori est quia in sub-lunaribus habetur eadem specie materia ut ipse Cartesius fate-tur E. Bos v. g. non distingueretur ab Eqvo specificè, sed saltem numericè. Sit *secundum* ab *inconvenienti*. Si in composito naturali nulla esset forma substantialis, sequeretur omnia composita materialia esse Entia per accidens. Sed hoc est absurdum E. idem quod prius, sequela constat quia inter formam substantialè & accidentalè nulla alia nec dari, nec excogitari potest.

§. 4. Ex-

§. 4. Excipit Cartesius, mediam omninò esse assignabilem formam, quæ vocatur essentialis, hæc enim neq; est substantialis neq; accidentalis. Sed *Contm.* Forma essentialis à Cartesio vel consideratur in abstracto, & in statu præcisionis, vel in concreto & in statu existentia: si intelligit formam essentialem, in abstracto, concedo quidem ejusmodi formam esse neq; substantialem neq; accidentalem, rationem assigno. quia si concipitur sola essentia, tunc nec substantia nec accidens concipitur, idèò quia tam substantia, quam accidens habet propriam essentiam, *Accidentis enim est in esse*, sicut substantia subsistere: sed quid hæc consideratio juvat Cartesium? Animalia enim in individuo considerata, non informantur à forma abstracta, hæc enim incerebro Philosophi est quærenda. Poterit igitur forma essentialis etiam considerari in concreto seu quatenus in hoc vel illo existit animali, sed hoc pacto necessariò est vel substantialis vel accidentalis, O. enim compositum actu existens, est vel substantiale vel accidentale, vel ostendat Cartesius compositum quoddam reale & Physicum, quod sit essentialiter tantum & neque substantiale, neque accidentale & quidem non inadæquatè sed (NB) *adæquatè* consideratum.

§. 5. Sit *Tertium*. Si non daretur forma substantialis sequeretur, materiã esse in utilem, sed hoc iterum est in conveniens. E. seq. probo, materia est essentialiter imperfecta & respicit intrinsicè formam substantialem, ut mediante illa constituat compositum substantiale. Hinc denuò argumentor, Compositum naturale aut est substantiale aut non, si non E. est accidentale. Si substantiale E. formam agnoscit substantialem, probo conseq. quia nulla denominatio defumitur à materia, sed tantum à forma, hæc enim actuat materiam.

§. 6. Dices. Accidentia & varias dispositiones in materia repetas materiam sufficienter determinare. *Contm.* Accidentia & variæ dispositiones sunt ignobiliora, materia, materia enim cum sit substantia eaque sustentet, est illis longè nobilior, adeoque materia non potest essentialiter ordinari ad illa. Deinde, congeries omnium accidentium & dispositionum est diversissima, materia autem in se eadem, E. nulla potest assignari ratio,



quare in materiam eandem non potius hæc, quam illa introducantur, materia ad omnia accidentia est indifferens.

§. 7. Probatur à simili & quidem ratione P. Francisci Suarezii, quam insinuat & fusè persequitur Disp. Met. 15. sect. I. §. 6. quam ad hanc reduximus formam: In homine datur forma substantialis. E. etiam in brutis, Antecedens est de fide, nec Cartesius audet illud negare, consequentia autem est probanda quæ probatur. Idèò admittenda est in homine forma substantialis, quæ simul est spiritualis, quia experimur accidentia spiritualia, nimirum operationes Liberi arbitrii, actus discurrendi & intelligendi, universalis sine singularibus, & substantias spirituales. Sic igitur rectè infert Philosophus in homine dari principium spirituale, ita pariter benè infero. In quo dantur operationes tendentes ad substantiam, ibi datur Principium substantiale, sicut enim se habet Principium spirituale ad operationes spirituales, ita se habet Principium substantiale tendens ad operationes substantiales & è contrariò. Sed in brutis dantur operationes corporeæ & tendentes ad substantiam procreandam, v. c. generare ad conservandam, nutrire: augere &c. E. pariter admitti debet principium ipsis proportionatum, quod non potest esse aliud, quam principium substantiale, quod est forma substantialis, inter operationem enim & principium debet esse iusta proportio.

§. 8. Nequæ putandum est has operationes posse elici à materia. Non est hoc dicendum, quia principio incompleto non correspondent operationes tendentes ad Ens completum. Nec dici potest ejusmodi operationes posse procedere à materia accidentibus & dispositionibus vestita, ratio: quia accidentia quomodocumq; disponant materiam non possunt ipsi tribuere esse completum & substantiale perfectum, hujus rationem iterum assigno, quia accidentia & dispositiones non habent in se ipsis esse completum & substantiale, *quod verò non habeo alteri non possum* communicare. Alia argumenta possunt videri in Disp. Metaphys. Suarezii, adducunt quoque alii, alia: ut Fonseca, Murcia &c. &c.

§. 9. Examinemus modò argumenta pro antithesi pugnantia

*Vid. quod M. G. Voigtiius. Preceptor olim plurimum colendus, in Cur. Phys. de Ref. Brut.*

gnantia, Argumentum tritum primo sese offert. Formæ obscuræ & sese nobis non offerentes non sunt admittendæ, Formæ substantiales brutorum sunt obscuræ. E. *Contm.* Formæ essentielles sunt obscuræ. E. non sunt admittendæ. R. igitur in forma: formæ obscuræ & nos latentes non sunt admittendæ, si neqve à priori, neqve à posteriori sunt cognoscibiles. C. si nimirum à posteriori sunt cognoscibiles. N. Etiam forma hominis à priori non est cognoscibilis, sed tantum à posteriori, scilicet ab operationibus spiritualibus. Ergone propterea est neganda? imò nec DEUS à priori potest à nobis cognosci. Ergone propterea Existentiâ ipsius Neganda?

§. 10. Alterum telum quod in nos detorquent adversarii, minus acutum, est hoc: Si formæ brutorum essent substantiales, aut essent spiritus aut corpora, sed neqve spiritus, ut constat: neqve corpora, quia sic materia & forma non essent distincta principia. *Contm.* Formæ essentielles in sententia Cartesii, aut sunt spiritus, aut corpora, non spiritus, quia non sunt intelligentes, volentes, nolentes, dubitantes &c. Non corpora quia Corpus est aliquid completum, Forma autem essentialis quid incompletum.

§. 11. Instat Adversarius hæc formas non posse dici substantias, qui (a) substantia est Ens per se subsistens (b) quia substantias in essendo fiendo & operando à subjecto dependere prorsus imperceptibile est. Resp. ad utramq; probationem distinguendo scilicet inter substantiam completam & incompletam, de completa dico. Quod habeat subsistentiam completam & totalem, de incompleta verò, quod partialem.

§. 12. Urgebis. Forma animalis existit dependenter à materia, Ergo caret propria subsistentia, sequela patet, quia quod habet propriam subsistentiam per se subsistit, sed quod per se subsistit, existit: independenter ab alio. R. Concesso Antecedente N. Conseq. Ratio à priori est, quia munus formale subsistentiæ non est efficere ut res existat independenter à materia, quia licet materia & anima rationalis privarentur propria subsistentia, non propterea existent dependenter à materia.

§. 13. Dices: Subsistentiam dari partialem videtur contradictio: quia subsistentia consistit in indivisibili, ideoq; non potest

potest dividi in partes. Resp Concedendo subsistentiam consistere in indivisibili, vocatur tamen à Petro à St. Josepho partialis, non respectu sui ipsius, sed respectu totius compositi.

§. 15, Rectè igitur dixit de his & similibus Rodoricus de Arriaga, Disp. III. Physic. sect. V. n. 43 *Quia, nulla fatuitas sine patrono, non de sunt etiam his temporibus nonnulli, nescio an Philosophi dicendi, an deliri, qui judicant in omnibus animalibus (excipiunt hominem propter fidem eandem numero esse formam substantialem, & solas dispositiones accidentales noscunt diversas.*

Ne autem, in hac dissertatione Philosophica, BB. LL. ingenii vestris, diffidere videar, si de tam perspicuis & disputem diutius rebus, me quoque temporis angustiis exclusum perspicio, Disputationis vela contraho & pedem figo, hoc addendo, neminem me ignominiosis affecisse verbis, omniaque quæ mihi turpia dictu visa fuere, præterisse quidque me dixisse deceat considerasse. Quare à vobis, ut eam voluntatem, quam semper habuistis erga me retineatis, peto. Faxit autem DEUS T. O. M. ut omnia ad ipsius Nominis divini gloriam, Ecclesiæ salutem, Reipublicæ literariæ emolumentum vergant. Quo rectè dicamus.

SOLI DEO GLORIA.



### COROLLARIA.

I.)

**T**erra non est planeta. Contr. Cartes. p. 3. p. 53. XIII, l. 4.

II. Gravia descendunt. Contra Cartes. p. 4. Princ. Phil. p. 146. XXVI.

III. Haud bonus est Logicus qui rejicit hos, & similes terminos. *Petreitas. Individuatio, formalitas. Præciso. Inaleitas. Hacceitas. Materialitas.* Ratio à priori est, quia talis Philosophus non intelligit, quid & quotuplex sit terminus abstractus.


PROBLEMA. I.

**U**trum Cyriacus Lentulus vocaverit jure merito Cartesium Epicurum?

II. Utrum Cartesius fuerit ATHEUS?

☞(o)☞





gnantia, Argumentum tritum  
fcuræ & sese nobis non offerentes  
substantiales brutorum sunt obscu-  
tiales sunt obscuræ. E. non sunt ad  
formæ obscuræ & nos latentes no-  
priori, neqve à posteriori sunt cog-  
steriori sunt cognoscibiles. N.  
non est cognoscibilis, sed tantum  
tionibus spiritualibus. Ergone  
nec DEUS à priori potest à nobis  
rea Existentiâ ipsius Neganda?

§. 10. Alterum telum quo  
minus acutum, est hoc: Si formæ  
aut essent spiritus aut corpora, si  
neqve corpora, quia sic materia  
prîncipia. *Contm.* Formæ essent  
sunt spiritus, aut corpora, non spi-  
tes, volentes, nolentes, dubitantes  
pus est aliquid completum, Formæ  
pletum.

§. 11. Instat Adversarius h  
stantias, qui (a) substantia est Ens  
stantias in essendo fiendo & operan-  
sus imperceptibile est. Resp. ad  
guendo scilicet inter substantiam  
de completa dico. Quod habea-  
totalem, de incompleta verò, quod

§. 12. Urgebis. Forma a  
materia, Ergo caret propria subsis-  
habet propriam subsistentiam per-  
sistit, existit: independenter ab ali-  
N. Conseq. Ratio à priori est, quia  
non est efficere ut res existat inde-  
materia & anima rationalis priv-  
non propterea existent depend-

§. 13. Dices: Subsistentia  
traditio: quia subsistentia consi-

fert. Formæ ob-  
mittenda, Formæ  
z. Formæ essen-  
igitur in forma:  
tenda, si neqve à  
si nimirum à po-  
hominis à priori  
scilicet ab opera-  
neganda? imò  
Ergone propte-

quent adversarii,  
ent substantiales,  
itus, ut constat:  
n essent distincta  
tia Cartesii, aut  
n sunt intelligen-  
orpora quia Cor-  
alis quid incom-

on posse dici sub-  
ns (b) quia sub-  
dependere pro-  
bationem distina-  
& incompletam,  
n completam &

dependenter à  
patet, quia quod  
quod per se sub-  
sso Antecedente  
male subsistentiæ  
ateria, quia licet  
ria subsistentia,  
ia.

em videtur con-  
bili, ideoq; non  
potest

